

Quod ex solutionibus argumentorum magis explicabitur.

SOLVUNTUR OBJECTA.

XVI. *Objicies*: Vel modus operandi subjecti confert rationem virtutis naturalis ad perfectius et clarius cognoscendum objectum, vel non: si non confert, sequitur quod in hac scientia cognoscat Christus solum secundum potentiam obedientialem et non naturalem, unde tam Angelus, quam anima in cognoscendo per scientiam infusam parificantur, et sic ruit fundamentum, quo ponimus accommodari species infusas modo connaturali subjecti, si quidem solum operatur juxta potentiam obedientialem elevatam, ac proinde sicut per lumen gloriæ elevatur intellectus ultra omnem modum connaturalem operandi, sic in scientia infusa. Imo sicut lumen gloriæ habet actum mensuratum æternitate, non autem mensura subjecti elicentis, sic actus scientiæ infusæ mensurabitur æternitate participata, quia ordinis supernaturalis est, non vero mensura sui objecti, ita ut possit discurrere, etc. si vero modus operandi subjecti conferat ad clarius, et perfectius cognoscendum, infirmatur fundamentum ad ponendum, quod Christus Dominus clarius quolibet Angelo videat, saltem rem naturalem, quia lumen Angeli naturale excedit quasi proportionabiliter naturalem virtutem animæ, præsertim in Angelis supremis, unde efficacia sua poterit supplere quidquid efficacitatis, et claritatis est in speciebus infusis.

XVII. *Secundo arguitur*: Quia non apparet in quo consistat hæc major claritas in speciebus infusis Christi, quam Angelorum: Angelus enim habet species repræsentantes res naturales quidditative, et compre-

hensive, nullumque illarum prædicatum, aut accidens prætermittit, quod non evidenter, et quidditative repræsentet: nihil ergo restat, quod clarius sit repræsentabile a speciebus animæ Christi, nec potest certius judicare de objectis anima Christi, quam Angelus, cum Angelus comprehensive, et quidditative de illis judicet, et per scientiam, seu lumen abstractius, et immaterialius; ergo non est aliquid quod magis certificet animam Christi, quam Angelum.

XVIII. Denique, non stat quod species angelicæ sint magis universales, et minus claræ, aut certæ respectu rerum naturalium, quia hoc ipso, quod universaliores sunt habent unite in se ipsis quidquid in inferioribus est dispersum, et multiplicatum; ergo si species multiplicatæ repræsentant rem clare, et distincte, species superiores, quæ altiori, et formaliori lumine procedunt, totam illam repræsentationem et conformationem speciei cum objecto, superiori modo continebunt, et consequenter clarius, et distinctius: hæc enim universalitas cum sit formalis, et non potentialis, utpote majoris immaterialitatis, quanto universalior est tanto perfectior, in continendo inferiorem repræsentationem.

XIX. Ad primum respondetur, quod virtus naturalis intellectus nihil confert, vel addit ad majorem claritatem, et perfectionem cognitionis supernaturalis scientiæ infusæ, quia cognitio ista respectu rerum supernaturalium, tam ex parte luminis, quam ex parte specierum supernaturalis est, nec utitur speciebus naturalibus sicut fides, vel prophetia; unde ex omni parte convenit subjecto secundum potentiam obedientialem; unde ad ejus perfectionem, et claritatem, sive ex parte speciei repræsentantis, sive ex parte

luminis judicantis nihil confert naturalis vis secundum se, sed prout elevata. De quo videri potest Lorca hic disputatione LI, membro II in fine.

XX. Constat enim, quod quando totus actus elicited ab aliquo actu secundum substantiam supernaturalis est, oportet quod tota vis, et ratio efficiendi supernaturalis sit, si quidem actus in sua substantia, et specie assimilatur suo principio, et rationi producendi: oportet ergo quod si tota substantia actus supernaturalis est, tota ratio operandi supernaturalis, et elevata sit, ita quod intellectus non operetur nisi ut elevatus. Est enim observanda differentia inter lumen gloriæ, et visionem beatificam, et inter reliquas visiones supernaturales attingentes objecta sua, quod visio beatifica in sua intrinseca natura solum potest perfici unica specie, sive in Angelo, sive in homine, sive plura, sive pauciora objecta cognoscat, quia semper objectum ejus primum est unicum, scilicet divina essentia. Reliqua autem objecta, sive sint multa, sive pauca, cognoscit tamquam objecta secundaria in isto primario; unde in tali visione beatifica nullo modo potest multiplicari cognitio, nec accommodari modo operandi subjecti, quia tota ratio multiplicandi, et dividendi cognitiones oritur ex multiplicatione, et divisione specierum, saltem expressarum, quæ sunt conceptus: in visione autem beatifica solum datur una species impressa, et expressa.

XXI. Et hac ratione ostendit D. Thomas I part. quæst. XII, artic. X, quod omnia, quæ cognoscuntur in Deo simul, et unite cognoscuntur; at vero in aliis cognitionibus supernaturalibus extra Verbum objecta repræsentata non conveniunt in unica specie, imo ex natura rei

quodlibet objectum postulat suam speciem, quia naturaliter omni objecto aliqua species propria correspondet, unde de se non repugnat tales species multiplicari, et magis vel minus esse unitas, et universales juxta proportionem subjecti. Unde stat solidum fundamentum D. Thomæ, quod licet infundantur juxta potentiam obedientialem istæ species, tamen quia ex suo genere, et ex parte objecti multiplicatam habent, et non omnimodam unitatem, sicut in visione beatifica in divina essentia, ideo non repugnat istas species multiplicari, et accommodari modo operandi subjecti, licet tota virtus, et repræsentatio earum supernaturalis sit; repugnat tamen id visioni beatificæ.

XXII. Ad secundum et tertium argumentum, in nostra sententia nulla est difficultas; cum enim species repræsentantes res naturales, supernaturali modo repræsentent, habent plures singulariores, et certiores, clarioresque rationes: clariores quidem quia plures, et occultiores res repræsentant in ipsis rebus naturalibus, quas non repræsentant species angelicæ, sicut est repræsentare ipsam futuritionem contingentem, et cogitationes cordis, quod est repræsentare in istis objectis occultissimas rationes causarum a quibus pendent. Sunt autem certiores, quia supernaturali lumine innituntur, et sic reducunt judicium suum ad altius, et firmiter principium, scilicet ad ipsam causam primam, et ad ejus concursus.

XXIII. Quod autem dicitur de universalitate specierum angelicarum, nihil obest, quia quantumcumque species angelicæ sint universales, quia tamen sunt ordinis naturalis, non continent in se perfectionem specierum supernaturalium, quæ important lucem alterius ordinis,

quantumcumque supernaturales sint multiplicatæ, et angelicæ sint unitæ.

XXIV. In alia autem sententia, quod species infusæ repræsentantes res naturales, verbi gratia, hominem, vel equum, sint pure naturales, dicimus, quod sunt clariores, et certiores species animæ Christi, non quia plures rationes repræsentent in objecto, quam species angelicæ, sed quia quamlibet rationem intensius, et efficacius repræsentant: in ipsa enim quidditativa cognitione rerum naturalium datur latitudo, sicut patet, quod Angelus superior clarius, et perfectius comprehendit lapidem, quam Angelus inferior; et sic non est tantum unicus modus repræsentandi quidditative, et comprehensive rem, et ita potest Christus Dominus habere species, quæ quidem non tam multa uniant, sicut species angelicæ, sed tamen illud quod quælibet species repræsentat, intensius repræsentent. Sicut lux solis perfecte illuminat parietem, si autem auferatur illa lux non plura, quæ antea erant occulta manifestabit, sed illa clarius.

XXV. Quod autem dicitur de universalitate speciei angelicæ, quæ continet ea, quæ sunt dispersa in inferioribus, respondetur, quod continet dispersa in inferioribus ex parte objecti repræsentati, non tamen ex parte modi clarioris repræsentandi, quia speciebus inferioribus divisus, et multiplicatis, potest Deus sic augmentare claritatem repræsentationis, quod respectu sui objecti unaquæque excedat in intensione modum claritatis Angeli, licet in universalitate, et extensione lumen angelicum sit altius, et immaterialius. Et præterea refunditur nova claritas illis speciebus ex eo quod Deus per specialem repræsentationem manifestat futuritatem rerum, et ordinem ad causas occul-

tissimas, ex quibus redundat major claritas in naturalibus objectis repræsentatis, quam in tota continentia universaliori specierum angelicarum, quæ ad ista occulta, et incerta cognoscenda pervenire non potest.

DE TERTIA DIFFICULTATE.

XXVI. Ad tertiam difficultatem respondetur, quod sicut species infusæ animæ Christi ex suo genere non exigunt discursum, licet illum permittant, ita neque compositionem, et divisionem. Ad excludendam autem compositionem et divisionem, non est necesse excludere multipliciter specierum, sed collationem, et comparisonem; ex eo enim datur compositio in nobis, non quia per plures species, vel objecta earum comparamus, et faciendo comparisonem, cognoscimus convenientiam, vel disconvenientiam unius ad aliud. Si autem pluribus speciebus intellectus utatur, nullam faciendo comparisonem, aut collationem, sed simplici inspectione, et apprehensione formando conceptum ex illis, nullo modo dicitur componere; ut patet quando per primam apprehensionem formamus terminum complexum, ut homo albus, ex specie albedinis et hominis, ubi tamen nondum datur compositio, quæ est secunda operatio, quia deest comparatio. Et similiter quando Angelus per speciem naturalem cognoscit hominem, et deinde per speciem supernaturalem cognoscit ipsum habere gratiam, vel aliquam perfectionem supernaturalem, tum necesse est, quod utatur nova specie supernaturali, si cognoscit gratiam clare, et evidenter, quia sola species naturalis hominis non sufficit illam repræsentare, et tamen non facit compositionem. Ergo non

sufficit, quod utatur intellectus pluribus speciebus ad hoc, quod dicatur componere, aut dividere, sed ulterius requiritur collatio, et comparatio unius ad aliud.

XXVII. Unde dicit optime D. Thomas in quæstione xvi de malo, articulo vi ad primum, secundo loco positum, quod ratio quare simplex intellectus Angeli non componit, aut dividit est, quia dispositio subjecti est principium cognoscendi inhærentiam prædicati ad ipsum; quandocumque ergo in ipsa dispositione subjecti, sive per unicam, sive per plures species cognoscitur convenientia prædicati ad ipsum, compositio non est. Si vero in ipsa dispositione subjecti non videatur convenientia prædicati, sed indigeat collatione, et comparisone utriusque, tunc erit compositio, aut divisio; talis autem comparatio non consistit in solo simplici usu plurium specierum, et simplici inspectione objectorum. Quare licet scientia infusa non habeat species magis divisas, et multiplicatas, quam Angeli, ex duplici tamen capite non indiget compositione uti. Primo, quia cum sint species exemplatæ ab ideis divinis, licet unaquæque non repræsentet nisi unicam specificam naturam (ut dicit sanctus doctor articulo sexto hujus quæstionis) tamen repræsentantur omnia prædicata, et omnia singularia talis naturæ, quæ illi conveniunt, sive a Deo auctore naturali, sive supernaturali; unde ad cognoscenda talia prædicata non indiget compositione talis speciei.

XXVIII. Secundo, non format compositionem, etiam si pluribus speciebus utatur, quia utitur illis ut conjunctis sine collatione, et comparisonem, sed simplici inspectione utriusque quidditatis; unaquæque enim species ita clare, et evidenter

repræsentat suum objectum, et quemcumque ordinem, vel coordinationem, quam habet cum alia, ut sola simplici inspectione utriusque speciei videatur convenientia, vel disconvenientia unius ad aliud, sine hoc quod per comparisonem, vel collationem eliciatur, sicut in simplici apprehensione conjunguntur objecta, quando facimus terminum complexum. Et hac etiam ratione, licet Angelus neget unum objectum repræsentatum per unam speciem, de alio objecto repræsentato per aliam, verbi gratia, homo non est lapis, non tamen dicitur dividere, aut componere, quia divisio non est quæcumque separatio, aut negatio unius de alio, sed separatio collativa, et comparativa, quatenus ex ipsa comparisonem objectorum elicitur disconvenientia, et negatio unius de alio.

XXIX. Cæterum sicut potest anima Christi uti discursu in hac scientia infusa, utendo speciebus illis non in tota sua adæquatione, qua simpliciter quidditatem, et naturam rei repræsentat, ut est in se, sed inadæquate ex parte, qua repræsentant unum deduci per collationem, et connexionem cum altero; ita potest formare compositionem, aut divisionem utendo pluribus speciebus, non ut simpliciter, et absolute repræsentant, sed ut repræsentant rem aliquam inadæquate, et præcise quatenus comparabilem cum alia, et ex vi comparisonis unibilem, vel separabilem ab alia, quod est repræsentare cum compositionem, aut divisionem.

ARTICULUS III.

Utrum scientia infusa distinguatur per plures habitus?

I. Vazquez super hanc quæstionem, disp. xxxiv, cap. ii, existimat